



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VI. Nullus debet plures habere vicarias.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1179.  
re conuicti fuerint, de cetero in eodem episcopatu ad officii sui executionem non admittantur.

CAP. V. *Idem Eliensi episcopo.*

\*Hochā Veniens ad nos P. rector ecclesie de \* Gestunens sua nobis insinuatione proposuit, quod ipse Ioanni de \* Fescam, qui multos habet ecclesiasticos redditus, & vicarias in ecclesiis pluribus, vicariam de \* Gestunens sub annua trium marcarum pensione concessit, cum redditus illius vicarie 4. marcas valeant annuatim. Licet autem in ipsius vicarie concessione quaedam decima fuisset excepta, nihilo minus tamen memoratus Ioannes præfatum P. contra religionem fidei suæ, qua se contra concessionem ipsam promiserat aliquando non venturum, super prædicta decima coram venerabili fratre nostro Norvvicensi episcopo per literas nostras traxit in causam, & cum in prædicta causa P. vincere non posset, ab alio iudice pro sua voluntate fecit eum citari. Quoniam ergo sustinere nolumus, nec debemus, vt idem P. inhibita vexatione grauetur, fraternitati tuæ, &c. quatenus partibus conuocatis, diligentius inquiras veritatem: & si tibi constiterit, quod prædicta decima fuisset excepta, memoratum clericum ab impetitione præfati Ioannis, contradictione & appellatione cessante, auctoritate apostolica fretus absolvas. Si vero quidquam in detrimentum iuris ipsius P. factum est, postquam iter arripuit ad nostram præsentiam veniendi, id contradictione & appellatione cessante, corrigas, & ad statum illum reducas, quo in tempore aggressi itineris noscitur extitisse. Ceterum si memoratus clericus in aliis ecclesiis vicarias habeat vel ecclesiasticos redditus, de quibus possit sustentari, a vicaria præscriptæ ecclesie de \* Gestunens confirmationis nostræ literis non obstantibus, appellatione cessante, remoueas, & eandem ecclesiam restituere eidem P. non postponas, dummodo velit & debeat in presbyterum ordinari, & per semetipsum in eadem ecclesia Domino deseruire.

Pars capituli Secundu, supra, Ne clericus vel monachus.

CAP. VI.

Prouideas autem attentius, ne in episcopatu tuo patiaris quemlibet plures vicarias habere. Quia cum vicarii te-  
Concil. Tom. 27.

Rrrr ij

neantur ecclesiis & propriis personis deferuire, alienum est ab ordine iuris, vt vicariam habeat quis præter vnam.

ANNO  
CHRISTI  
1179.

PARS XL. DE ELECTIONIBVS  
ET ELECTORVM POTESTATE.

CAP. I.

*Idem\* Exoniensi episcopo.*

**N**OSTI sicut vir prudens & sapiens, quomodo dilectus filius noster G. dictus Lincolniensis electus, committendi honores vel præbendam, & alia disponendi de rebus ecclesiæ, cum sua nondum sit electio confirmata, nullam habeat facultatem. Inde est, quod fraternitati tuæ, &c. quatenus eidem dicto electo ex nostra parte non differas arctius inhibere, ne archidiaconatum alicui conferre præsumat, vel si iam concessit, ei auctoritate nostra præcipias, vt concessionem suam, omni contradictione & appellatione cessante, studeat reuocare. Quod si distulerit, tu eandem concessionem, appellationis remoto remedio, auctoritate nostra non differas reuocare.

CAP. II.

*Idem I. basilicæ 12. apostolorum presbytero cardinali,  
apostolicæ sedis legato.*

Quod diligentia tua per dilectum filium nostrum H. S. a nobis requisivit, an electio electi, qui nuper abiurato schismate, ad vnitatem ecclesiæ & nostram deuotionem rediit, confirmari debeat, id tibi duximus respondendum, quod si ab schismatico nullum ordinem suscepit, & eius electio vnanimiter & concorditer secundum ordinem Canonum facta fuerit, dummodo alia ratio non impediatur, confirmationem tuam ratam habemus, mandantes, vt eum facias a catholicis episcopis suffraganeis Aquileiensi ecclesiæ in episcopum ordinari, salua tamen iustitia debita & reuerentia, eiusdem ecclesiæ, cum ad catholicam redierit vnitatem.

CAP. III. *Item\* Cicestrensi episcopo.*

Cum de tua & aliorum electione, qui sunt in quibusdam